



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XX. De Crimine Falsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

etiam in his &, ubi consuetudo eam Seculari Curia ademit, causarum usurariorum cognitionem soli iudici Ecclesiastico competere, Lugo *Tom. 2. de J. & J. disp. 25. n. 250.* observat.

Neque, extra hunc casum & loca, contra Secularem potestatem allata, admodum urgent textus; quia, licet ex iis rectè inferatur, crimen hoc non esse foritantum Secularis: & excommunicationem in usurarios à solo iudice Ecclesiastico ferri posse: non tamen inferitur, usuras esse crimen merè Ecclesiasticum, ut de iis cognosci, eisque poenæ decerni neque-

ant à iudice Seculari, contra e. *Post miserabilem cit. textum.* Ratio autem; quia, licet, eum de peccato controversia est, generali & legali definitione aliquid decernere ac definire solius Ecclesiastici sit: in casu tamen particulari, an hic vel ille contractus iniustus &, sicut sacris Canonibus, sic Constitutionibus quoque Imperialibus, usuras damnantibus, contrarius sit, non apparet, cur cognoscere ac pronuntiare nequeat curia Secularis, ut cum *cit. Covarruvia n. 4. Emanuele Saà de Usuris n. 4. & Salas de Usur. d. d. 45. n. 2. docet cit. Palao p. 28. n. 4.*



TITVLVS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

- | | |
|-------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------|
| 1. Ratio Ordinis. | 14. Et ille in loco non suspecto, |
| 2. Falsò veritas dolosè ac prajudiciosè immutatur, | 15. Ab alio, quàm Curia officiali, sine rase, |
| 3. Dictò, Scriptò, Factò vel Usu. | 16. Et mutatio sit secundùm mentem Papa. |
| 4. Falsus testis Deum, iudicem & proximum ledit. | 17. Factò falsum committitur diversimodè, |
| 5. Pœna in eum Civili, | 18. Et perniciosissimè à falsariis monetur: |
| 6. Et Canonico iure constituta. | 19. Quorum severissima animadversio est. |
| 7. Pœna Advocati pro dantis causam suam clientis, | 20. Verita est confessio pecunie ex auro Alchimistico, |
| 8. Et iudicis, scienter injustam sententiam ferentis. | 21. Et istius artis exercitulum. |
| 9. Scriptò Falsum variè committitur, | 22. Falsi rei sunt, qui alieno nomine, insignibus &c. utuntur: |
| 10. Praesertim falsatione literarum Apostolicarum, | 23. Et pecuniam adulterinam expendant: |
| 11. Sive hæ Gratiæ, sive Iustitiæ sint. | 24. Nisi ignorantia defendantur. |
| 12. Quæ gravissimè poenæ obnoxia est, | |
| 13. Licet falsatio nemini sit damnosa: | |

Similli-

1. Simillimum Furto & lucris Usurariis, nec minus perniciosum privatis eò deceptis, atque ipsi Reipublicæ est crimen Falsi: ad cuius explicatio- nem ab illis Papa transit.

2. Est autem Falsum & falsitas, Fraudulosa imitatio vel potius Immutatio veritatis, facta in præjudicium alterius, Glossa in §. Item lex Cornelia 7. V. Fal- sum, Insit. de Publ. judic. Tholos. Syntag. Lib. 36. cap. 1. n. 2. & Haunold. Tom. 6. de l. & l. Trah. 2. n. 174. Ad Falsi enim crimen, præter immutationem sive per- versionem veritatis, ab Imp. Novell. 73. pr. requisitam, exigitur; ut ea dolò ma- lè sive corrupendæ veritatis & decipien- di animò fiat, l. 1. l. Impuberem 22. pr. & l. Nec exemplum 20. C. ad L. Cornel. de Falsis: atque insuper afferat, vel fal- tem afferre alteri possit nocumentum; etsi hoc fortassis impediatur, l. Si quis 6. ff. & l. Si falsos 8. C. ad L. cit. Sylvester V. Falsarius, n. 1. & Vallensis ad hanc Rubr. §. n. 1. & Haunold. cit. n. 174.

3. Committi Falsi crimen quatuor mor- dis potest ac solet. Dictò, Scriptò, Fa- ctò & Usu, Hostiensis in Summa, n. 2. Damhoud. Practic. Criminal. cap. 119. n. 3. & Farinac. Prax. Criminal. q. 150. n. 6.

4. Dictò gravissimum Falsi crimen in judicio committit testis, scienter ac do- losè dicens falsum testimonium, aut sup- primens verum, l. 1. pr. l. Falsi 20. ff. ad L. cit. & c. 1. quò textu relatus S. Au- gustinus, id præsumentem tribus per- sonis obnoxium, ait. Deo, cuius, om- nium hominum actus intuentis & cor- dium intima perferuntis, præsentiam contemnit. Judici, quem mentiendò fallit; ut propterea ab eo, licet aliàs competens iudex non sit, extraordinariè valeat puniri, l. Nullum 14. C. de Testibus; quò delictum ipsi jurisdictionem tribuat

in delinquentem, c. fin. de Foro compet. & l. 1. C. Ubi de crimin. agi oportet- dummodo jurisdictionis, respectu istius, incapax non sit, ut est iudex Secularis re- spectu clerici; hic enim, sicut extra, sic in judicio delinquens ab illo plekti, nec corporali, neque pecuniaria pœnâ potest, c. At si clerici 4. de Judic. c. Nullus 2. & c. Si diligenti 12. de Foro compet. Clarus §. fin. q. 38. n. 14. Covarruvias Practic. cap. 18. n. 8. Fachineus Controvers. Lib. 9. cap. 2. V. Tertia, & aliis congestis, Bar- bosa in c. 1. cit. n. 4. Proximo: con- tra quem testis in judicio falsum depo- nens, aut celans verum, quod scit, tene- tur ad restitutionem, sive compensatio- nem omnis damni, quod ex tali depo- sitione est passus, Lessius Lib. 2. de l. & l. cap. 13. n. 67.

5. Pœna hujusmodi perinde, ut cætero- rum Falsariorum, de Jure Civili ordina- ria olim in homine Nobili deportatio cum omnium honorum publicatione: in per- sona vili damnatio in metallum: in ser- vo ultimum supplicium fuit, l. 1. §. fin. ff. ad L. Cornel. cit. l. Si quis 38. §. 7. ff. de Penis, Tholosan. cit. Lib. 36. cap. 3. n. 4. & cap. 5. n. 2. Hodie istius crimi- nis animadversio arbitraria, & pro va- rietate casuum & circumstantiarum ma- jor est vel minor, Glossa in l. 1. cit. §. fin. V. Eorum. In Imperio, qui in cau- sa Civili falsum juravit, parti, perjurio læ- sè tenetur de omni damno & interesse, ut jam dictum, & redditur infamis: at- que insuper ex recepta consuetudine am- putari ei solent duo digiti, quos in præ- statione juramenti erexit, Ordinat. Ca- rolinæ art. 107. quò & art. 68. in eum etiam, qui in quacunq; causa Crimina- li contra alium falsum jurasse, convinci- tur, Talionis sive eadem pœna constitu- ta est, quæ crimine probatò, subeunda fuisset accusato: quâ sanctione pœnali Impera-

Imperator præ oculis habuit legem Divinam, ejusmodi Falsario, sicut fratri suo cogitavit, reddi, & animam pro anima &c. exigi, præcipientem, Deuteron. cap. 19. v. 19. & 21.

6. Jure Canonico, qui in quacunq; causa falsum dixerit, infamiam incurrit, *can. Constitutum* 3. q. 5. clerici insuper deponendi & ad agendam poenitentiam in Monasterium detrudendi, *can. Si Episcopus* 7. dist. 50. vel ad ærumnosum carcerem aut trimes, juxta dicenda *Tir.* 37. n. 29. sunt damnandi: si tamen falsum scienter & dolose, circa causæ substantialia, & cum alieno eoque gravi præjudicio fuerit dictum, ut *Clarus cit. §. Falsum, n. 9.* observat.

7. Eodem modo, sive dicto, Falsi crimen in judicio committunt advocatus & judex. Ille, si dolò malò clientis sui causâ proditâ, & propriis probationibus dissimulatis, vel probationibus aut exceptionibus falsis admittis, adversam partem juvet, ab eaque suam vinci patiat, *l. 1. pr. ff. de Prævaricat. §. l. 1. §. 1. ff. ad SC. Turpil.* cujus Senatûs Consultû poenæ olim obnoxio erat. Hodie verò ad illati damni & emolumentis, ipsius malitiâ intereuntis, reparationem tenetur: & præterea judicis arbitrio, pro personarum aliarumque circumstantiarum diversitate, fustigatione, carcere, numellis, vel relegatione plecti, jubetur *Ordinat. Carolinae art. 115. Haunold. Tom 6. de I. & I. Traç. 2. n. 180.* Ille verò sive judex,

8. si ex malitiâ vel munere corruptus dolosè atque ex proposito injustam sententiam proferat, *l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. cit.* cujus & Legis Juliae Repetundarum, sive exilii vel capitis poenis obnoxius olim erat, *l. Lex Julia 7. §. fin. ff. ad L. Jul. Repetund. Clarus §. fin. q. 73. n. 2. & Menoch. de Arbitr. casu 342. n. 9.* Hodie pro personarum, tam judicis quàm

partis, ejus sententiâ lasæ, damnique ex falso judicato secuti qualitate, coerceri solet exilii vel relegationis temporaneæ, privationis officii vel dignitatis, inhabilitatis ad judicandum, confiscationis bonorum, aliisque similibus, etiam capitis poenis: de quibus *Menoch. cit. Casu 342. à n. 7. & Farinac. Prax. Criminal. q. 111. à n. 4.*

Sanctionibus Canonicis judices Ecclesiastici, qui contra conscientiam & Justitiam per sordes, hoc est, prece, pretio, præmio, gratiâ, odio corrupti in gravamen partis judicârunt, ultra affirmationem litis huic præstandam, incurrun poenam suspensionis à divinis; ut, si his, durante suspensione, se ingesserint, contrahant irregularitatem, *c. 1. de Sens. & re judic. in 6. ubi Barbosa & Laiman. à n. 3. & Farinac. q. cit. n. 29.*

9. Scriptò seu scripturâ Falsi crimen committit, qui scienter ac dolò malò testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit: qui signum adulterinum fecerit, sculpsit, expresserit: qui in testamento sibi adscripserit legatum vel fideicommissum, & alii similes, de quibus *§. Item lex Cornelia 7. Institut. de Publ. jud. l. 1. §. ff. ad L. cit. Interpp. sibi & latè Farinac. cit. q. 150. cum aliis.*

10. Jure Canonico damnatum Falsi crimen scriptò præcipuè committitur falsatione literarum Apostolicarum: cui rei sunt non solum ii, qui literas ejusmodi falsas ipsi conficiunt, confectis sigilla falsa, aut etiam vera sine ejus, ad quem spectat, consensu apponunt: sed illi etiam, qui in literis, Apostolicâ autoritate confectis, radendo, abluendo aut aliis modis tollunt vel addunt aliquid, quò earum sensus immutetur, *c. Licet 4. vel ejusmodi literas ex alterius, quàm Papæ, vel ab ipso ad hoc deputatorum officia-*
lium: ma.

litum, manibus recipiunt, *c. Dura 4. Vi-*
vianus in cc. cit. & Pirthing ad hanc
Rubr. n. 9. & 10.

11. Quantumvis autem literæ Aposto-
 licæ censeantur quæcunque Rescripta,
 Bullæ, Brevia, tam Justitiam quam gra-
 tiam v.g. provisionem Beneficiale, di-
 spensationem, Indulgentias concernen-
 tia, quæ nomine Summi Pontificis expedi-
 untur: & supplicationes, quæ ipsi of-
 feruntur, ab eoque vel S. R. E. Vicecan-
 cellario, eorumque vices gerentibus, aut
 de Papæ mandato signantur: non tamen
 censentur literæ S. Congreg. Cardina-
 lium, S. Poenitentiaræ, Datarii, Le-
 gati à Latere, vel Nuntii à sede Aposto-
 lica Missi, Episcopi & similibus, Na-
 varrus *Manual. cap. 27. n. 62. Suarez de*
Censur. disp. 21. s. 2. n. 45. & Bonacina
de Censur. disp. 1. q. 7. p. 1. & n. 1.

12. Porro in illos, sive literarum Apo-
 stolicarum magis propriè dictarum Fal-
 sarios variæ & ob criminis enormitatem
 severissimæ animadversionis poenæ Ecclē-
 siasticæ constitutæ sunt. Primò quidem,
 excommunicatio Papæ reservata: quam
 quicumque, etiam laici, literas Aposto-
 licas per se vel alios falsificantes ipsò fa-
 ctò incurrunt, *c. Ad falsariorum 7. jun-*
ctò Bullæ Cœnæ can. 6. Secundò, si-
 milem excommunicationem, sed *can.*
cit. non reservatam, ipsò factò incur-
 runt ejusmodi falsariorum fautores ac
 defensores, *c. cit.* ut *ibi* notant Barbo-
 sa *n. 4. & Fagnanus n. 24.* uti & qui
 literas ab alio, quàm de manibus Papæ
 vel ejus Officialium recipiunt: nisi sint
 personæ insignes, *c. Dura cit.* in quos
 tamen hoc textu latam excommunicatio-
 nem in desuetudinem abiisse, *ibi* notat
 Barbosa *n. 2.* Tertio, iidem falsarii, si
 clerici sint, omni officio & beneficio Ec-
 clesiastico perpetuò privantur: & si falsi
 crimen per se exercuerint, degradandi ac

tradendi sunt curiæ Seculari, per quam,
 ut ipsi, sic etiam laici de falsitate legitime
 convicti secundum Leges puniantur,
c. Ad falsariorum cit. Quarto, qui li-
 teras Apostolicas falsas, à se tamen non
 falsificatas, scienter impetrant, aut iis
 utuntur: si laici, ipsò factò excommu-
 nicantur; si verò clerici sint, officiis ac
 beneficiis spoliandi sunt, *c. cit. 7. Qui*
verò, cit. Barbosa n. 16. & Fagnanus n.
54. Quintò ii etiam, qui ejusmodi li-
 teras, ab aliis falsificatas, se habere cogno-
 scunt, easque intra viginti dies non de-
 struunt vel resignant, excommunicatio-
 nis poenæ per sententiam ferendæ &
 postquam ea lata est, Papæ reservatæ ob-
 noxii sunt: etiam si iis non sint usi, ne-
 que habuerint animum utendi, *c. Dura*
cit. §. Adicientes, ubi Barbosa n. 2. Unde

Dubium oritur primò, an ejusmo-
 di falsariorum poenæ etiam incurrat, qui
 in Rescripto Justitiæ immutat aliquid,
 ex quo nullum aut leve damnum parti
 aut filio infertur. Ratio dubitandi est;
 quia falsificatio interdicta est ob dam-
 num, quod sequitur ex falsitate. Unde,
 si nullum aut leve sit, à culpa & in con-
 sequentiam à poena saltem gravi excusa-
 bit. At verius est, incurrere, si litera-
 rum sensus immutetur; quia earum fal-
 satio vetita est, non tam propter dam-
 num inde secutum (aliàs enim in dispen-
 sationibus & Indulgentiis à Sede Aposto-
 lica concessis admittit à prædictis poenis
 foret immunis) quam propter injuriam
 & contemptum authoritatis superioris,
 à quo ejusmodi literæ expediuntur, Al-
 terius *Lib. 2. disp. 7. cap. 2. §. Cum enim,*
Bonacina de Censur. disp. 1. q. 1. p. 2. n.
5. & Palao Tract. 29. disp. 3. p. 7. n. 4.

Dubium secundò est de literis, con-
 tinentibus rasuram unius syllabæ vel pau-
 carum literarum in loco non suspecto.
 Ratio dubitandi oritur ex *c. fin.* quò tex-
 tu rela-

13.

14.

ture latò Innocentii III. rescriptò ejusmodi rasuram continentes literæ pro falsis non habentur. Rationi huic non nihil, nec nimium tribuendum; & pro *c. cit.* declaratione cum Glossa *in c. Licet cit. V. Tenuem* & Fagnano *in c. fin. n. 6.* discrimen statuendum est inter tres casus. Primum, quò rasuram in Curia ab istius Officialibus: alterum, quò eam ab impetrante vel utente factam, constat: tertium & dubium, an ea in aut extra Curiam, ab aliquo istius Officiali vel ab alio sit facta. Primò enim casu literas quocunque, etiam suspectò loco sint rasæ, falsas non censi, notant Panormit. *in c. cit. n. 4.* Hostiens. *in c. Ex literis 3. de Fide instrument. n. 5.* & Joan. Andr. *n. 4.* Alterò eas, quacunque etiam minima parte rasæ sint, falsas & à radente tanquam falsario contractam excommunicationem reservatam, cum *cit.* Glossa, Panormit. *cit. n. 4.* aliisque Interpp. censet idem Fagnanus *n. 8.* contra Navarrum *Manual. cap. 27. n. 62.* Suarez *f. 2. cit. n. 43.* casu, quò hujusmodi rasurà à Papa intentu literarum sensus non immutatur, propter parvitatem materiæ relatis falsariorum pœnis obnoxium falsi crimen non committi, verisimiliter existimantes. Postremò casu, juxta *c. fin. cit.* paucarum literarum in loco non suspecto factà rasurà falsitatis suspicionem non induci, cum iisdem tradit *cit.* Fagnanus *n. 14.* & suadet ratio; quòd in ejusmodi loco per euriæ Officialis: in suspecto autem loco apparens rasura per impetrantem vel utentem facta præsumatur, Panormit. *cit. n. 4.* Quis autem locus suspectus sit, *Lib. 2. Tit. 22. n. 101.* est explicatum.

15. Dubium tertio est, an ejus, de qua sermo est, falsitatis commissæ reus sit, qui literas Apostolicas secundum mentem Papæ corrigit, *vg. si supplicatio facta sit pro dispensatione in nuptiali im-*

pedimento Affinitatis, & locò istius à Notario per errorem Confanguinitas, vel pro dioecesi Augustana Frisingensis sit expressa. Affirmat id Suarez *cit. f. 2. n. 47.* partim; quòd verè immutet sensum literarum Apostolicarum: partim verò; quòd, licet Papæ mens fuerit, gratiam concedere: non tamen fuerit, ut à Notario commissus error per alium corrigatur. Non minus tamen probabiliter cum Sairo *Lib. 3. Theaur. cap. 30. n. 12.* negant *cit.* Bonacina *p. 2. n. 7.* & Palao *p. 7. cit. n. 5.* eà ducti ratione; quòd ejusmodi mutatio propriè non sit falsatio; cum falsum tollat & literas veras reddat; neque etiam immutatio respectu summi Pontificis, cujus intentioni & concessioni ea est conformis. Rectè tamen hi DD. monent, cavendum; ne hujusmodi correctio faciliè proprià auctoritate; sed, si potest, per Curia Officialis & Notarios fiat.

Factò sive re Falsi crimen committunt, qui alicui alienum partum supponunt, *l. Qui falsum 19. ff. ad L. Cornel. cit.* de quo plura *Tit. 38. art. fin.* qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendunt, *l. Qui duobus 21.* qui pondera aut publicè probatas vini, frumenti, aut eujuslibet rei mensuras corumpunt, *l. Hodie 32. §. 1. ff. ad L. Cornel. cit.* in quos triginta dierum penitentia in pane & aqua decreta est, *c. Ut mensura 2. de Empt. & vendit.* qui mercibus adulterinam aut minus utilem materiam admiscunt, Molina *Tract. 2. de I. & I. disp. 701. n. 1.* & Farinac. *q. 150. cit.*

Omnium verò maximè hoc Falsi crimine tenentur falsarii Monetæ, *l. Quicunque 8. Sc. ff. ad L. cit.* quales secundum *Ordinat. Caroli V. art. 111. pr.* sunt Primò, qui, licet aliàs justi ponderis ac figuræ, monetam cudunt privatà suà auctoritate, hoc est, sine concessione summi Prin-

in Principis, aut alterius magistratus, superiorem saltem in temporalibus non recognoscentis, ad quem eudere monetam tanquam jus Regale spectat, Feudor. *Lib. 2. Tit. 56. cap. 1.* ut aliis non competat: nisi id obtinuerint privilegio vel temporis immemorialis prescriptione, textus & Glossa *Extravag. Unica inter communes*: cujus Jure speciali multi, nec solum Principes, sed Comites quoque & civitates Imperiales hodie monetam cudunt. Ratio autem, cur privatam auctoritate monetam cudens falsariis connumeretur, ea est; quia ad justam monetam, prater bonitatem & quantitatem materiae, requiritur etiam forma publica sive signum, *l. 1. ff. de Contrab. empr. ibi, Forma publicè percussâ*: quâ privatus absque consensu Principis & suo nomine uti sine falsi crimine non potest, *arg. l. Falsi 13. pr. & l. Qui nomine 25. ff. ad L. Cornel. cit. Glossa in Extravag. cit. V. Auctoritatem*. Secundò, qui monetam publicam auctoritate causae tundendo, radendo, scindendo &c. justum pondus diminuunt, *l. Quicumque 8. cit.* Tertio, qui monetam adulterinam cudunt finguntque ex falsa materia, v.g. cupro, vitro, stanno, aut verae materiae, puta auro, vel argento aes, stannum, aliamve materiam admiscunt, *l. Lege 9. ff. ad L. cit. l. Creditor 202. ibi, Pecunia quasi arosa ff. de Solutionibus, Clarus 5. Falsum, n. 37.*

19. In horum postremos, sive monetam adulterinam ex falsa aut vitata materia cudentes poena ignis (cui ferè strangulatio praemitti solet) decreta est à Constantino Imp. *l. Si quis 2. C. de Falsa moneta*, cujus verba sunt: *Si quis nummos falsa fusione*, hoc est, ex adulterina materia, formaverit &c. *flammae exustionibus mancipetur* & Carolo V. *art. 111. cit.* Duos autem priores pro qualitate & frequentia delicti arbitrio judicis in

corpore vel bonis plectendos, ibidem habetur & pluribus tradit Haunold. *Tom. 6. de l. & l. Trah. 2. à n. 455.*

Dubium hoc loco est de auro & argento Alchimistico. Ex quo ritè confectio monetam eudi sine falsi crimine posse, suadet ratio; quòd ejusmodi arte verum aurum fieri posse, cum Alberto M. *Lib. 3. Mineral. cap. 9.* & aliis DD. defendat Delrio *Lib. 1. Disquis. Magic. cap. 5. s. 4.* Unde nummi ex eo cudi, cum verè aurei sint, falsae monetae nequeunt annumerari.

At, quidquid sit de veri auri confectione: quam cum Angelico *in 2. dist. 7. q. 3. art. 1. ad 5.* & aliis magni nominis DD. humanam arte superiorem censent Comitulus *Lib. 3. Respon. Moral. q. 33. n. 2.* ejusmodi aurò uti, & monetam ex eo cudi, severè interdictum, patet ex *Extravag. Unica cit. Joan. XXII. inter communes*, quâ Alchimia, tanquam ars perniciosa, constitutis gravissimis poenis merito condemnatur partim; quòd usu compertum sit, ob veri auri conficiendi, si non impossibilitatem, difficultatem saltem maximam & imperitiam, non paucos sub privato, & publicò multorum damno turpiter delusos: & antè, quam exiguum fictitil aurì particulam excoquerent, veri argenti plurimum decoxisse: partim verò; quòd Alchimistae ferè adulterinum pro vero: & si quando verum aurum obrudunt, illud fraude suppositum, vel diabolica ope sit confectum; Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 40. n. 51.* Comitulus *l. cit.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 43.*

Utu demum vel potius abusu Falsi criminis reatum contrahunt, qui falsum nomen aut cognomen dolosè & in praedictum sibi usurpant, *l. Falsi 13. pr. ff. cit. junctâ l. Unica C. de Mutat. nomin. Farinac. cit. q. 150. à n. 338.* qui illicitis, hoc

ris, hoc est, alienæ familiæ &c. insignibus aut falsis literis vel diplomate utitur, *l. eos 27. ff. ad L. cit.* qui Sacerdotem, Nobilem, aut Doctorem se fingit, his proprios actus temerè exercendo, *Farinac. q. cit. à n. 80.* qui falsas Leges vel Constitutiones, authoritates &c. dolo-
 23. sè allegat *l. fin. ff. ad L. cit. Farinac. ibid. n. 79.* & præter alios vel maximè is, qui adulterinam monetam colligit & expendit: in quem, si id scienter & dolo-
 sè faciat, præterquam quòd ad omnis damni inde secuti resarcitionem obligetur, perinde ut in cudentem, poena ignis constituta est à Carolo V. *art. 111. cit.* Hujus tamen Ordinationis rigorem, saltem

si ejusmodi monetæ expositio sine magno Reipublicæ damno & non diu exercita sit, tribunalium praxi alicubi multum & meritò mitigatum, ostendit *Carpozovius Prax Criminal. q. 42. à n. 99.*

Dixi, *Scienter ac dolo*, quia à dicta aliàque poena utique eximuntur, qui id faciunt ignoranter, ut notat *Menoch. de Arbitr. casu 316. n. 55.* Quod, licet verum sit, monetam tamen adulterinam acceptam scienter expendentem injustè agere & ad restitutionem obligari, rectè docet *Navarrus Manual. cap. 17. n. 167.* quòd error suum tenere auctorem, & non alteri debeat nocere, *Zæsius ad hanc Rubr. n. 3.*



TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

SUMMARIUM.

1. Sortium tria genera sunt,
2. Divisoria licita.
3. Consultoria regulariter illicita sunt,
4. Præsertim in electionibus Prælatorum,
5. Jure Ecclesiastico eas sorte celebrari vetante.
6. Et celebratas irritante.
7. Valida tamen est electio compromissariorum,
8. Et litis beneficiæ decisa sorte facta.
9. Divinatoria illicita,
10. Et obnoxia sunt gravibus poenis Civilibus,

11. Et Ecclesiastico Jure constitutis in sortilegos:

12. Contra quos hodie fere procedit sola Curia secularis,

FAlsi speciem & sæpe malitiam continent Sortes: non quidem omnes, sed illæ maximè, ex quibus vani superstitiosique homines de futuris eventibus aliisque rebus omnino reconditis conijcere solent. Sunt autem, & cum *S. Thoma 2. 2. q. 95. art. 8.* à cæteris *DD.* distinguuntur triplicis generis Sortes. Divisoriæ, Consultoriæ, Divinatoriæ.

Divisoriæ sunt, quibus jus individuum aut ambiguum, pluribus competens, inter eos dividitur, aut uni applicatur: